



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 296. Pecuniam copiosam dederunt militibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

non reuelaretur saltem per custodes sepulchri milites? inuenit malignum consilium, concludentes inuicem esse adhuc copiosam pecuniam in arario communi Ecclesie, ex quo Iudas Ischariot traditor triginta argenteos accepit, posse pro honore tuendo proprio & conseruando etiam maiorem summam accipi nunc pro custodibus sepulchri ad celandam resurrectionis Christi veritatem.

Ecce Consiliarios! Ecce Principes reipublice, qui etiam cum vitæ periculo veritatem, & iustitiam tueri & defendere deberent, quomodo hic vendunt, & veritatem & aequitatem, ementes mendacium & sacrilegium non ex propria pecunia, sed aliena, non ex sæculari aut diuitum peculio sed Ecclesie & pauperum thesauro.

Domine Deus ne vnquam obsecro eo dementiæ veniam, vt meum vel commodum priuatum quærant per Ecclesiasticarum rerum & pecuniarum sacrarum dissipationem, imo eius sim semper animi, vt me relicto quæram Ecclesie & Dei potius & commodum & honorem, quam meum cum vel minimo peccato, & detrimento Ecclesie vel Dei.

§. 296. *Pecuniam copiosam dederunt militibus.*

Res magni momenti erat resurrectio Christi & consequentiæ grandis, igitur vt illa non resciretur maxime per viuos testes & oculos sepulchri custodes celaretur, opus erat non promissionibus, nec parua pecunia, sed re ipsa corrumpere, & pingui munere obstruere testium ora. itaque non contractum inierunt cum militibus Principes quantum quisque pro silentio habere deberet veritatis, sed statim cuique obtruserunt dantes copiosam pecuniam. Sic sapientes huius mundi prudentiores sunt filijs lucis contra Deum & veritatem.

Domine nunquam sic ego sapiens sim vt contra iustitiam velim corrumpere proximum, vel corrumpi vlllo munere, quantocunque pretij, sed da gratiam vt omni tempore memor iustitiæ eam defendam in veritate etiam cum periculo vitæ, vt tu lauderis semper, & iustitia tua viuat & vincat, etiam si ego debeam confundi.

§. 297. *Dicentes: dicite quia discipuli eius nocte venerunt.*

O stulta & iniqua instructio, dicite scilicet contra conscientiam & veritatem, quia discipuli eius nocte venerunt. at quomodo venerunt o consultores mali? nonne custodia erat, & milites positi ad sepulchrum qui custodirent? cur milites non repulerunt discipulos si venerunt de nocte iuxta mandatum vestrum? fors non aduerterunt aduenientes? ita vere! Quomo-